

2883.

# B e r i c h t

über

das Gymnasium *Petrinum* zu Brilon

während

seines dritten Schuljahrs (1860—61),

erstattet

von

dem Director

**Dr. Anton Joseph Schmidt.**

Zugleich

Einladung zu den Schlussprüfungen und zur Schlussfeier  
am 21. und 22. August.



An der Spitze steht eine Abhandlung des Oberlehrers Dr. Rudolphi: über Horaz' carm. III, 3.

---

Brilon, 1861.

M. Friedländer's Buchdruckerei.

96r  
43 (1861)

1841

Das Gymnasium Pforta in Pforta



Faint, mostly illegible text, likely a certificate or official document, possibly containing names and dates.

### De Horatii lib. III. carmine tertio.

Quum ex muneris mei rationibus hoc anno pauca conscribenda mihi essent, quæ cum scholæ nostræ commentariis conjungerentur, ex iis potissimum, de quo disputarem, sumendum mihi duxi, quæ hoc ipso anno discipulis meis interpretatus essem. Disputavi igitur de præclarissimo illo et elegantissimo Horatii carmine, quod orditur ab hac sententia notissima: „Justum ac tenacem propositi virum Non civium ardor prava jubentium, Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida..... Si fractus illabatur orbis Impavidum ferient ruinæ.“ Quod quidem carmen quum plerique harum rerum periti optimo iure summis laudibus dignum arbitrentur, fuerunt tamen aliquot homines docti, qui multis locis graviter reprehendendum esse existimarent; et hoc ipso tempore exortus est, qui Pœerkampii vestigiis ingressus totum fere carmen ab Horatio abiudicandum censeret unamque stropham et dimidiam ita relinqueret, ut cum partibus admodum exiguis eorum carminum, quæ sunt in eodem libro primum et secundum, jungendam arbitraretur atque ex tribus carminibus unum idque brevissimum efficeret. (Cfr. Gruppii liber, qui inscribitur Minos, pag. 374.) Quod si ita esset, maxime mirandum certe videretur, quod grammaticus et vel monachus aliquis a multis saepe despectus et contemptus tantum arte valuisset, ut tot sæculorum doctissimos homines in errorem induceret. Sed quamquam vix negari potest esse nonnulla in Horatii carminibus, quæ vel supposita vel addita esse videantur, illud tamen equidem persuadere mihi non potui tam late patuisse fraudem, ut ex uno carmine, quod quinque strophis contineretur, tria carmina ac duodetriginta strophæ conficerentur. Meminerimus quod est nostris hominibus in proverbio, nimium si quis voluerit probare, nihil probari, ne quum vix videamur Horatium ipsum relinquere, aliis hominibus risum moveamus; atque quoniam vera carminis interpretatione omnes eius modi controversiæ dirimuntur ac tolluntur, quæ nobis visa sunt de totius carminis consilio ac ratione, hoc libello paucis ostendamus.

Priusquam autem ad ipsam rem aggrediamur, sententias carminis breviter perstringere libet; quarum ordo is est, ut primum effingatur animi firmitas atque constantia, quæ eluceat in homine iusto ac propositi tenaci; quo facto merces adiungitur, quam maximam et egregiam viri iusti ac propositi tenaces consecuti sint: cuius rei exempla quum ex fabulis tum ex Romanorum memoria repetuntur, Pollux, Hercules, Bacchus, Augustus, Romulus, quos poeta dicit propter illam ipsam virtutem in deorum societatem esse receptos; quumque Romulum Troiana stirpe natum Juno acerrimo odio persecuta sit, hanc deam poeta facit in deorum concilio longiorem orationem habentem, qua profitetur, eversa Troianorum urbe neque Romulum se deorum societate nec Romanos imperio orbis terrarum prohibeturam. Ac Romulus quidem illud meruit, quia iustus fuit ac propositi tenax; Romani autem vetantur et restituere Troiam et aurum ex visceribus terræ effossum in humanos usus convertere. Illud autem prius si aggressi sint Romani, Troianorum rebus perniciem iterum sese allaturam minitatur. Tum vero Musam revocat hortaturque, ne deorum sermones divulget.

In interpretando hoc carmine homines docti in diversissimas sententias discesserunt. Ac primum fuerunt, qui ita interpretandum esse carmen existimarent, ut singulæ partes minus inter se connexæ et aptæ viderentur. Aliis enim placuit Junonis orationem ita interpretari, ut, quæ de Romanorum imperio enunciantur, ad priorem partem tamquam *πάρεργον* quoddam ornamentum causa accederent. Orellius quidem, ut alios omittam, aperte dicit, Junonis orationem esse degressionem quandam poeticæ *γάρταστος* plenam. Alii rursus voluerunt in ipsa illa oratione summam carminis positam esse. Neutrum



tamen probari ei, qui ratione et via interpretanda esse censet, quæcunque ab antiquis hominibus scripta sunt, vix est quod demonstratur. An quisquam illud sibi persuadebit, quod de omni carminum genere præclarissime præcepit, idem Horatium ipsum incredibili quadam temeritate neglexisse? Profecto qui vituperat atque irridet eos, a quibus „Inceptis gravibus plerumque et magna professis Purpureus, late qui splendeat, unus et alter Assuitur pannus“, si quidem ipse sibi constare voluit, eius modi carmen nullo pacto aut componere aut edere compositum potuit. Quapropter præter Orellii sententiam etiam illud improbandum videtur, quod Struvius disputavit in eo libro, qui inscribitur: *Historische und literarische Abhandlungen der Königl. Deutschen Gesellschaft zu Königsberg, erste Sammlung 1830. S. 157 — 205*; is enim censuit voluisse poetam ostendere, qui fieri potuisset, ut Romani, quum acerbissimo Junonis odio exagitarentur, tamen orbis terrarum imperium consequerentur. Ne Dillenburgerus quidem singulas partes satis arto vinculo inter se coniungit; in eo enim libello, qui inscribitur *Quæstionum Horatianarum partic. I. pag. 20* summam carminis ait in eo versari, „ut celebretur laus et gloria nominis Romani, a Romulo parva, per annorum seriem adaucta, ab Augusto ad summum fastigium elata“. Atque quod idem ille vir clarissimus obiicit Grotefendio, qui Augusti laudes ac merita celebrari censuit, angustioribus terminis circumscribi carmen, eadem reprehensione ipse non videtur carere. Vix enim videre videor, quo consilio præter Romulum Augustumque Pollux, Hercules, Bacchus commemorantur et primis versibus iusti hominis mores effingantur. Atque etiam Ritterus parum videtur recordatus esse, quod Horatius præcepit, ut esset quodvis carmen simplex dumtaxat et unum. Hæc enim duo poetam voluisse putat, et iusti viri virtutem celebrare et dissuadere Augusto, ne Troia urbs restitueretur neve imperii Romani domicilium ac sedes in illam urbem transferretur.

Existit altera hoc loco quæstio, utrum ad Augustum scriptum sit carmen an ad populum Romanum. In aliquot enim libris manu scriptis hoc carmen inscribitur ad Cæsarem Augustum, quumque Augustus summis laudibus efferatur in hoc carmine, nonnulli viri docti putant ad ipsum Augustum carmen esse scriptum. Hanc sententiam secutus Kiselius, gymnasiarchus Düsseldorpiensis, in suæ scholæ programme a. 1845. pag. 5. ait, „Quirinum primum eius reipublicæ quæ ab Augusto restituta sit conditorem ita accessitum esse, ut ipsi Augusto tamquam exemplar quod in agendo intueatur debeat observari“; et pag. 12: „proponit ut cogitasse suspicemur de illis quæ non Cæsar, sed Augustus ceperit consiliis imperio sese abdicandi et pristinum civitatis statum restituendi“. Censet igitur non ad Romanos, sed ad Augustum cohortandum carmen esse compositum et ad rempublicam videri referendum esse. Hoc autem si quis voluerit sibi persuadere, equidem non queo satis perspicere, cur Romani, ut possint orbis terrarum imperium adipisci, aurum spernere iubeantur; neque consentaneum videtur esse, qui sua virtute ad deorum societatem iam accesserit, eum ut hanc virtutem colat, a poeta vitari ac moneri; atque etiam vultus instantis tyranni prohibet, quominus Augustum significari viro iusto ac propositi tenaci statuamus. Planius etiam Schulzius in progr. gymnas. Duisburg. a. 1831. mentionem illud deorum ira eversum esse Romanorum rempublicam bellis civilibus dissolutam; eam restitueret Augustus, poetam hoc carmine voluisse dissuadere. Alii tamen viri docti arbitrantur ad Romanum scriptum esse hoc carmen; idque quo mihi iure probetur, et ex iis quæ hactenus

le  
cit.  
o ju  
cit I  
e rest.  
opulum.  
me di  
Sed  
stituere Ti  
contaminar  
mani iubent  
non nego ho  
ἀλλυγοίαν a  
vera Troianor

aliud hoc loco adducor ut paucis adiungam. Nonnulli enim interpretes voluerunt, quod restitueretur etiam vitarentur, ea re moneri Romanos, ne Troianorum aut aliorum populorum vitii sese committerent. Ad quam sententiam quamquam illud accommodatum est, quod aurum spernere Romanos esse poetæ consilium, ut cives suos a vitiiis ac sceleribus avocet et abducat; sed omnem remp. iudicandam existimo. Quis est enim, qui, quum Junonis orationem legit, non cogitet de Troianorum veritate? Huius enim ipsius deæ in Troianos odium tam tritum atque celebratum est in

omnium poetarum sermone, ut vix quisquam, quum legit, in eam deducatur cogitationem, ut non proprie dicta esse arbitretur, quæ a Junone dicuntur. Quod si ita est, etiam Schulzii, quam modo exposui, sententia minus probabitur.

Iam vero ut ego quid sentiam de huius carminis consilio exponam, recta interpretandi via ac ratio illis carminibus indicari mihi videtur, quæ vel proxime antecedunt vel sequuntur. Est enim hoc carmen, de quo disputamus, ex illis sex carminibus, quæ virginibus puerisque cantari ipse poeta dicit, quibus Augusti consilia adiuvans corruptos depravatosque civium mores corrigere inprimisque adolescentes ad meliorem consuetudinem perducere conatur. Neque vero casu factum est, ut eodem metro illa carmina componerentur; neque fortuito ita sunt in libris disposita, ut aliud aliud deinceps exciperet. Tanta enim et rerum et sententiarum omnibus intercedit cognatio, vix ut separari inter se queant. Namque ut multis sæpe locis, sic in his carminibus Stoicorum doctrinam secutus poeta civibus suis illa virtutum genera commendat, quibus omnis honestas, ut Stoicis placebat, continetur; ac primo quidem carmine laudat temperantiam et moderationem, secundo fortitudinem animi ac fidem, quarto sapientiam et prudentiam; ad quas virtutes quinto carmine adjungit amorem patriæ, sexto denique queritur omnes reipublicæ calamitates ex deorum contentu et mulierum impudicitia tamquam ex fonte manare. Quæ quum ita sint, quum cetera carmina ad mores omnia referenda videantur, quis iam illud affirmaverit, hoc unum carmen, de quo disputamus, ad reipublicæ aliquam rationem vel publicum aliquod consilium, non ad mores spectare? Quarta est autem Stoicorum virtus iustitia, cui conjuncta est, ut ait Cicero, beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet; et hæc est, ut equidem opinor, ea virtus, quam suis civibus poeta hoc carmine voluit commendare; quam quidem ob rem in initio carminis statim huius ipsius virtutis nomen collocavit. Atque ut primo carmine virginibus puerisque cantari ea carmina profitetur, ita sexto cives alloquitur, quum sic orditur: „Delicta maiorum immeritus lues Romane.“ Quapropter licet eo carmine, de quo disputamus, Augustus commemoretur, alienissimum tamen est opinari, Augustum, non Romanos ad aliquam virtutem excitari; quamquam equidem non nego, eo consilio Augustum ter in his carminibus summa cum laude commemoratum esse, ut minus graviter unius dominatio ferretur.

Artissimo tamen vinculo tertium carmen conjunctum est cum secundo. Ac Porphyrio quidem censuit non duo, sed unum carmen esse („non est alia hæc oda, inquit, quam superior, sed illi adhæret“); et Cruquius in vetustissimis libris manu scriptis vidit abesse a tertio carmine inscriptionem et grandem litteram additque: „Neque id temere; nam æternum præmium proponitur illi viro forti et fideli.“ Sed videamus singula. Illo carmine adolescentibus Romanis commendatur fortitudo bellica, virtus civilis, fides, quæ tamen ad religionem maxime refertur; hoc carmine commendatur, uti supra iam diximus, iustitia; ex Stoicorum autem ratione fundamentum iustitiæ, ut ait Cicero (de offic. I. 7, 23) est fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. Quam igitur prope initium tertii carminis accedit ad extremam partem secundi! Atque etiam tota ratio utriusque carminis eadem est; primum enim singularum virtutum, quæ commendantur, vis et natura paucis describitur, tum et merces adiungitur et poena, qua afficiuntur qui vel præditi sunt illis virtutibus vel non sunt præditi. Ac bellicæ quidem fortitudinis, quæ tribus secundi carminis strophis describitur, merces posita est in illa sententia omnium sermone celebratissima: „Dulce et decorum est pro patria mori“; poenam autem eius, qui non est fortis, indicant quæ sequuntur: „Mors et fugacem persequitur virum.“ Magnus ille et elatus animus humanasque res despiciens, quem Stoici affectabant, quinta stropha depingitur; eiusdem virtutis merces continetur his versibus: „Virtus recludens immeritis mori Coelum negata tentat iter via“; qui vero caret ea virtute, eius poenam minus aperte indicant quæ adduntur: „Coetusque vulgares et udam Spernit humum fugiente penna.“ Commendatur fides creditis in rebus; ne ab hac quidem virtute abest sua merces, quæ tamen qualis sit reticetur; poena autem „raro antecedentem scelestum



deserit et sæpe Jupiter incesto addidit integrum<sup>4</sup>, qui una cum illo fuit. Eademque fere ratione, quæ tertio carmine commendatur virtus, primum describitur, tum adjungitur merces; poenam autem, quæ afficiuntur qui deserunt illam virtutem, Troiæ excidium declarat.

Neque tamen, quæ modo dicta sunt, ita volo intelligi, ut, quod nonnulli interpretes, censere videar esse hæc duo carmina pro uno habenda: tantum dico et genere et ordine sententiarum esse inter hæc carmina miram quandam cognationem. Coniungere duo hæc carmina iam ea re vetamur, quod omnis convenientia partium tolleretur; est etiam in tertio carmine magis insignis orationis sublimitas ac magnificentia.

Priusquam autem longius progrediatur disputatio, de Junonis oratione pauca dicenda sunt, quam supra iam dixi cum reliquo carmine artissime coniungendam esse. Horatii consuetudo est, ut quæ de moribus præcipienda sunt, non ipse suo ore pronunciet, sed deum aliquem præcipientem faciat vel antiqui alicuius viri illustri exemplo ostendat atque comprobet; poetarum enim orationi parum accommodatum est ad præcipiendi rationem delabi. Veluti primi libri carmine decimo quinto, ut ostendat hominem sceleratum et impium facinorum poenas aliquando persoliturum esse, quum Paris rapta Helena in Asiam navigat, Nereum vaticinantem inducit, magnis copiis Græcos Helenam repetituros Priamique regnum eversuros esse; ipsum autem Paridem turpi morte interiturum. Itaque hoc primi libri carmen proximè accedit ad ea, quæ Juno dicit de Troianorum civitatis interitu. Quod enim vaticinatus est Nereus, Juno profitetur evenisse. Sunt autem orationes illæ et exempla apte et artificio quodam plerumque cum reliquo carmine connexa et copulata. Sic quinto huius libri carmine ad amorem patris cives suos excitat; ad eam rem Reguli præclarissimum exemplum ita affert, ut contrarium sit Crassi militibus, qui ductis in matrimonium mulieribus barbaris socerorum in armis consenuerunt; ab illis autem militibus, qui oblitum sunt Ancilium et nominis et togæ æternæque Vestæ, incolumi Jove et urbe Roma, arto quodam adhibito vinculo ad Regulum transit, quum dicit: Hoc caverat mens provida Reguli. Eademque est ratio prioris partis, quæ est in Junonis oratione. Paulo enim ante dictum est a poeta, Pollucem, Herculem, Bacchum, Augustum, Quirinum virtute sua dignos fuisse, qui in deorum societatem reciperentur; iam Juno profitetur, qui sceleribus sese obstrinxerit, eum tristi fortuna interiturum, idque ipsum ut comprobet, ex Troianorum rebus calamitosis exemplum repetit; confirmatur igitur hoc exemplo illud, quod multis locis ab Horatio monetur, impios homines flagitiorum suorum poenas esse duros. Est autem hoc ipsum exemplum ob eam rem aptissimum, quod Romulus Troianorum stirpe ortus maiorum sceleribus ac poenis implicatus fuit; nam una cum duce fraudulento, ut ait Juno, totus populus damnatus est; quo maior apparet virtutis vis, quum deorum iracundiam, quæ Troianorum sceleribus erat concitata, virtute sua Romulus placaverit. Summo autem artificio, quæ dicuntur de Troianorum fortuna, inclusa sunt iis quæ de Romuli mercede dicuntur. Hæc autem si rectè disputavi, vix quisquam dubitare poterit, quin Junonis oratio vel potius prior huius orationis pars (de altera enim parte disputabitur postea) artissime cohæreat cum iis carminis partibus, quæ antecedunt.

Sed qui operam studiumque ad explicandum carmen contulerunt, admodum inter se dissentiunt, quæ sit illa virtus, quæ hoc carmine Romanorum adolescentibus commendetur.

Ac fuerunt qui duas virtutes commendari censerent, non unam; constantiam et fortitudinem, præcipuas maiorum virtutes, nimis ab æqualibus Horatii neglectas, Romanis commendari voluit Orellius; Feldbauschius in suo libro, qui inscribitur: *Zur Erklärung des Horaz*, pag. 68. rectius dicit iustitiam et constantiam commendari, Petrenzius in program. gymn. Gumbinn. 1844. pag. 20. constantiam cum iustitia coniunctam, Duntzerus autem in eo libro, quem ad interpretanda Horatii carmina conscripsit, pag. 350. quatuor virtutes numerat; ait enim: *die Idee der Ode ist: Strenge Rechtlichkeit, Beharrlichkeit, Gottesfurcht und Beschränkung begründen das Wohl des Einzelnen und des Staates*. Ac bene ille quidem, quod et singulorum et reipublicæ salutem spectari voluit; sed vituperandus est in eo, quod qua-

tuor virtutes commendari sibi persuasit easque ad unitatis rationem reducendas esse non censuit. Sed tamen una præditi virtute heroes illi, qui commemorantur, ad deorum societatem pervenerunt. „Hac arte Pollux et vagus Hercules Enisus arces attingit igneas etc.“ Ex quo apparet duas illas voces, a quibus orditur poeta, non esse inter se disiungendas, sed ita intelligendas, ut unam rem efficiant; et si videbitur, statuere licebit illud esse quod grammatici vocant *ἐν δὲ δυνῶν*, ita tamen, ut summa rei in priore voce posita sit. Neque enim tenacitatis illius vis ac natura ea est, ut per se ipsa cogitari aut esse possit, sed alteri voci subiiciatur necesse est. Recte igitur Ritterus: „De iustitia præceptor honesti sic canere voluit, ut illam viri iusti virtutem celebraret, qua munitus non modo suum cuique tribuat, sed quodcunque iustum esse viderit, quovis modo obtinere et humano generi conciliare studeat, tenax propositi et nullis difficultatibus absterritus.“ Quod autem addit voluisse Horatium admonere, „ne Troiam Augustus restitueret neu Orientis caput destinaret“, difficile profecto est ad intelligendum, hoc *ἐπεισόδιον* a priore carminis parte non esse alienum. Illam autem virtutem, in cuius laude totum carmen versatur, neque fortitudinem esse, quod Orellio placuit, neque constantiam, quod præter alios Lubkerus etiam in suo commentario censuit, ex ea re satis apparet, quod illæ virtutes non videntur omnes carminis partes arto vinculo complecti. Atque etiam ipse Lubkerus dicit vix posse quemquam suspicari iustum illum et propositi tenacem virum eum esse, quem constantem dicere Horatius consuerit. Sed consulto, ne quis error remaneret, in initio carminis posita videtur vox iustitiæ, quam ad virtutem summa carminis referenda est. Hoc si nobis probatum erit, laudari et commendari eam iustitiam, quæ semper in proposito susceptoque consilio permaneat nullaque vi neque hominum neque naturæ, nullis difficultatibus, nullis minis de via detorqueri aut averti possit, singulas carminis partes aptissime inter se connexas atque copulatas esse videbimus. Quod priusquam ex ipso carmine fusius comprobem, ut perspicatur iustitiæ vis ac natura, ex Stoicorum disciplina pauca videntur depromenda esse. Neque enim quisquam potest non perspicere ac sentire, ut in secundo, sic in tertio carmine Stoicorum rationem poetam esse secutum.

Iustitia, uti Stoicis placebat, latissime patet. Complectitur enim omnia, quæ vel singulis hominibus vel hominum societati vel ipsis diis debentur. „Iustitia, inquit Cicero de partit. orat. XXII, 78, erga deos religio, erga parentes pietas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur.“ Et in quinto de finibus bonorum et malorum libro, „Hæc animi affectio, inquit, suum cuique tribuens atque societatem coniunctionis humanæ munifice et æque tuens iustitia dicitur: cui sunt adiunctæ pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas quæque sunt generis eiusdem.“ Hanc autem iustitiam dicit esse virtutem amplissimam atque præclarissimam ad eamque colendam homines generatos esse. Sunt enim in primo de officiis libro hæc: „Iustitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua viri boni nominantur, societas hominum inter ipsos et vitæ quasi communitas continetur. Placet Stoicis, quæ in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alij prodesse possent: in hoc naturam, inquit, debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.“ Ex his autem, quæ ex Ciceronis libris transcripsi, apparet, optimo iure Forcellinium ita dividere: „Iustitia est virtus, qua suum cuique tribuimus, quæ particularis dicitur; est enim et universalis, quæ obedientia est erga leges et omnes virtutes morales complectitur.“ Huius igitur virtutis exemplaria proponuntur admirabiles illi viri, qui per totum orbem terrarum pervagantes summis laboribus ac periculis susceptis feras bestias immanesque homines occiderunt vel a fera agrestique vitæ ad humanitatem ac mansuetudinem homines deduxerunt vel rebus publicis constitutis omnium salutem providerunt et extinctis bellis vitia extirparunt moresque emendarunt: quæ omnia pertinent ad eam quam supra dixi iustitiam. Ac licet ea sine summa constantia aut maximo labore non potuerint effici, illud tamen satis intelligitur, non



constantiam aliquam, sed merita illorum hominum celebrari. Etenim apud eundem Ciceronem in secundo libro, qui est de natura deorum, Q. Lucilius Balbus ex Stoicorum ratione ita disputat (II, 23, 24): „Multæ naturæ deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa et a Græciæ sapientissimis et a maioribus nostris constitutæ nominatæque sunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur..... Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam (hunc dico Liberum Semele natum)... hinc etiam Romulus, quem quidem eundem esse Quirinum putant: quorum quum remaneret animi atque æternitate fruerentur, dii rite sunt habiti, quum et optimi essent et æterni.“ Quam autem communis omnium hæc fuerit opinio, eos ipsos heroes, qui ab Horatio commemorantur, propter iustitiam ac maxima in genus humanum merita in purissima cæli regione collocatos esse, hac lege antiqua demonstratur, quæ est a Cicerone tradita (de legg. II, 9): „Divos et eos, qui cælestes semper habiti sunt, colunt et ollos, quos endo cælo merita locaverunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.“ Est etiam apud ipsum Horatium aliquod carmen (IV, 5), quo celebrantur quas Augustus Romanorum civitati utilitates attulit atque ipse, ut in eo carmine, de quo disputamus, cum Hercule et Castore, Pollucis fratre laborumque socio, comparatur atque cum iisdem inter deos relatus esse dicitur. Ait enim descriptis Augusti in rempublicam meritis: „Te multa prece, te prosequitur mero Defuso pateris et Laribus tuum Miscet numen, uti Græcia Castoris Et magni memor Herculis.“ Et in prima epistola secundi libri scribit hæc ad Augustum: „Cum tot sustineas et tanta negotia solus, Res Italas armis tuteris, moribus ornes, Legibus emendes..... Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux Post ingentia facta deorum in templa recepti, Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella Componunt, agros assignant, oppida condunt..... Præsenti tibi maturos largimur honores Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.“ In octavo libri quarti carmine etiam Aeacum ereptum Stygiis fluctibus Horatius dicit propter ea, quæ bene fecerit. Neque tamen Aeacus maiora ulla opera magno cum labore videtur perfecisse; propter pietatem enim atque insignem iustitiam a diis diligebatur dignusque habitus est, qui iudex apud inferos esset. Hæc autem Aeaci iustitia ea est, quam a Forcellinio universalem dici supra demonstravimus.

Iam cum omnia, quæ hactenus dicta sunt, ratione animoque lustrarimus, quoniam quæ mercedis egregia exempla afferuntur, cum prima carminis parte artissime coherere necesse est, illud intelligemus, primis strophis effingi eam animi firmitatem, quæ eluceat in homine vere iusto ac sapienti, qualem Stoici informabant. Is enim ad pravum iniustumve consilium capiendum nulla re, ne atrocissimis quidem minis concitatæ multitudinis nec minitantis tyranni truculento vultu compelli potest. Eundem in modum Iuvenalis (VIII, 80 seqq.) „Ambiguæ si quando“, inquit, „citabere testis Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut sis Falsus et admoto dictet periuria tauro, Summum crede nefas animam praeferre pudori Et propter vitam vivendi perdere causas.“ Neque quæ in rerum natura formidolosissime fiunt, abstrahere eum aut deterrere ab exsequendis iustis et rectis consiliis possunt, non turbidum mare, non fulmina terroris plena, non ipsius cæli ruina.

Huius autem virtutis officia qui deserit, iniustus est; qui vero alteri infert iniuriam, is magis etiam iniustus est gravissimasque persolvit pœnas. Atque huius quidem rei exemplum a Troianis repetitur. Scelera enim omnia, quibus Troiani sese contaminaverunt, admirabili quadam brevitate enumerantur; planeque et aperte in consilio deorum Juno dicit ab iniustitia Troiae excidium esse profectum. Etenim fatalis ille incestusque iudex iniuriam intulit Junoni Minervæque, quibus Venerem eiusque munera anteposuit; famosus Menelai hospes hospitium violavit; mulier illa peregrina est adultera, est *λειποπάτωρ, λειπόγαμος*, Junonique iram movit, in cuius tutela est religio matrimonii; Priami domus tota periura est; mercede pacta Neptunum atque Apollinem fraudavit Laomedon; ob has iniurias tota urbs



cum duce fraudulento et omni populo Junoni Minervæque iam dudum damnata tandemque eversa est. Iustitia igitur, uti supra dictum est, summa felicitas, iniustitia perniciosa atrocissima paratur, nec illi tantum, qui infert iniuriam, sed omnibus, qui aliquo vinculo cum illo sunt coniuncti. Etenim, ut est in secundo carmine, „Sæpe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum“. Nec vero, quo magis scelerum pœna perspiciatur, semet ipsam aut aliquem deum ait Juno effecisse, ut Ilion everteretur, sed ipsi Paris et Helena perniciem urbi attulerunt. Atque etiam ante Paridis Helenæque iniurias, quum Laomedon Neptunum atque Apollinem mercede pacta fraudasset, tum iam constitutum a diis erat, ut Troianorum urbs deleteretur. Neque suam magis iniuriam, quam primam illam Laomedontis iniustitiam videntur Juno et Minerva ultæ esse.

Quum vero propter principum iniurias universus Troianorum populus vexatus ac deletus esset, Romulus etiam, qui per Rheam Silviam Numitoris filiam ab Aenea ortus erat, summum Junonis odium suscepit. Tanta vero iustitiæ vis est, ut Romulum ipsum, postquam optime de genere humano ac populo Romano meritus est, Juno patiatur quietis ordinibus deorum ascribi. Ita facillime, postquam iustitiæ merces est descripta, a Romuli virtute ac mercede ad Troianorum iniustitiam ac pœnam carminis ratio delabitur.

Quod autem ceterorum ἀποθέωσις breviter, Romuli longiore oratione pronuntiatur, huius rei causa non magis videtur ex eo repetenda esse, quod Junonis inveteratum et implacabile odium Romulo restinguendum erat, (hoc enim alii quoque fecerunt, imprimisque Hercules, quum filii essent Jovis ex mortali matre procreati) quam ex eo, quod patrii herois exemplum illustre potius cives imitaturos sperare licebat. Ac potuit quidem hac Junonis sententia, qua pronunciat sese non prohibituram quo minus deorum ordinibus Romulus ascribatur, totum carmen concludi ac definiri; sed quis est quin perspiciat mancam quodam modo atque inchoatam fore quum rationem carminis tum Junonis orationem, si non adiunxisset Horatius, quæ adjuncta sunt. Etenim quum singuli homines iustitiæ fructus tulissent amplissimos, Troiani iniustitiæ gravissimas pœnas dedissent, quumque universus populus eandem quam heroes mercedem non posset adipisci, fieri vix potuit, quin ad cohortandos Romanos proponeret, quæ civitas iustitiæ præmia lætissima atque uberrima esset consecutura. Ac singuli quidem homines, quorum tamen dii patres essent, ad deorum vitam beatam propter eximiam iustitiam admissi sunt; civitatum vero præmia continentur amplissima imperii finium propagatione eiusque diuturnitate. Quapropter sicut paucorum principum iniustitia ac perfidia universa Troianorum civitas in maxima pericula et acerbissimas calamitates adducta est, sic unius Quirini iustitia atque constantia Junonis ira ita est placata, ut non solum illum ad deorum societatem admitteret, verum etiam universæ civitati, cuius ille præclarus auctor erat, si non magnopere fautoram, at concessuram se esse profiteretur, si quidem Troianorum fortuna perterriti iustitiam colerent, ut imperii fines usque ad remotissima orbis terrarum loca proferrent. Mos etiam erat antiquarum gentium, ut ab iis, qui civitates condiderant, putarent eas leges atque condiciones pronuntiatas esse, quibus civitates ad summum imperii gloriæque gradum pervenire possent. Ita Quirinus Julio Proculo mandaverat hæc: *Χαῖρε καὶ χάρις Ρωμαῖος, ὅτι σωφροσύνην μετ' ἀνδρείας ἀσχοῦντες ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρωπίνης ἀφίξονται δυνάμειος*. Eundemque morem secutus Horatius Junonem facit vaticinantem, Romanos, si iustitiam exercerent, totum orbem terrarum in suam dicionem potestatemque redacturos esse: quo quid potuit Romanorum animos vehementius accendere et inflammare?

Neque vero licuit Junonem eas partes, quas susceperat, ita commutare, ut sibimet ipsi vix videretur constare; quod quum Peerlkampius non perspexisset, totam Junonis orationem censuit ab Horatio abjudicandam esse. Sed ex adversaria Quirini Juno non est facta amica; gravius concepit odium in nepotem, quem peperit sacerdos Troica, quam ut depositis inimicitis diligere Quirinum eiusque cives possit; ne nomine quidem potest eum appellare; neque admittit ipsa Quirinum ad deorum domicilium,

sed „redonat invisum nepotem, Troica quem peperit sacerdos,“ Marti patri, qui fuit Junonis filius; patitur, non prohibet deorum ordinibus illum ascribi; nec adiuvat ipsa rem Romanam; patitur Romanorum imperium ultimas in terras proferri et quicumque mundo terminus obstitit, hunc armis tangi; id enim coniunctivi forma, qua usque usus est poeta, et ipsum patiendi nomen declarat. Adversus Troianos autem tantopere Juno exarsit iracundia et stomacho, ut, quamquam excisa est eorum urbs, tamen omne odium vix videatur posse deponere; estque illius animus, quum Troianorum iniurias enumerat, tam vehementer commotus, ut Paridis et Helenæ nomina dicere non possit: hunc dicit fatalem incestumque iudicem et famosum hospitem, illam mulierem peregrinam et Lacænam adulteram. Quum vero antiqui populi arbitrarentur, ex qua quæque civitas profecta esset, eam rebus afflictis pro pietate adiuvandam et sustentandam esse, illud etiam erat verendum, ne Troiæ mœnia ac tecta Romani, quum multum opibus valerent, restituerent ac repararent. Quod si factum esset, iam carerent Troiani pœna sua. Quapropter originis suæ Romanos vult oblivisci; quamque ipsa Troianorum urbi intulit calamitatem, eam vult esse sempiternam. Deposuit Quirini Romanorumque, non deposuit Priami nec Troianorum odium; et summum odium inest in his verbis: „Priami Paridisque busto Insultet armentum et catulos feræ Celent inultæ“; Eodemque permota odio, quo everti cupivit urbem, rursus condi vetat. Quod si facere Romani conentur, novam sibi ab his putat inferri iniuriam, quam inultam prætermittere non possit. Neque vero satis magna, uti veteres quidem populi opinabantur, ad avocandos ab iniustis consiliis hominum animos Troianorum perniciis fuisset, si rursus ædificare dirutam a Græcis urbem licuisset; ea autem perniciis, ex qua numquam respublica exurgere atque erigere se poterat, maximo erat documento et magnitudine pœnæ perterrebat omnes.

His igitur adductis causis, quas modo exposui, translationem eam, quam Græci vocant ἀλλογοσίαν, in explicanda Junonis oratione existimo omittendam esse; omnis enim interpretandi carminis ratio, ad quam translatio aliqua adhibetur, nimis tecta atque operta est neque satis ad ceteras carminis partes accommodata. Neque tamen huic rei obstat, quod nova postea urbs ædificata est, quæ vocatur νέον Ἴλιον; hæc enim urbs satis ampla propius litus sita fuit, quam ea, quæ a Græcis diruta est; qua de re legenda sunt, quæ Strabo memoriæ tradidit (XIII, 1, §. 25 — 27, pag 592 — 595). Sed ut unum adiungam ex ipsa oratione depromptum, quod meæ sententiæ suffragatur, postulat Juno, ut „Priami Paridisque busto Insultet armentum et catulos feræ Celent inultæ.“ Quid? hæc ipsa res nonne adeo subiecta sub sensus est, ut cogamur de vera et germana Troianorum urbe cogitare? Accedit quod hæc excidii significatio apud veteres populos usitatissima erat, ut vix quisquam, quum legeret, de translato dicendi genere posset cogitare.

Profitetur igitur Juno, ut supra dictum est, nolle se prohibere, quominus Romuli gens ad remotissimas regiones imperii fines propaget; sed huic promissioni duæ condiciones adiiciuntur: prior est, ut Troia urbs, quamquam sit Romanorum urbs avita, deleta iaceat et maneat. Ac profecto, si iustitiam hoc carmine commendare suis civibus poeta voluit, non potuit quidquam excogitari, quod plus ad illud consilium afferret quam sempiterna iniustitiæ pœna. Altera condicio hæc est, ut aurum spernant neve quod in terram a diis abditum est, effodiant „cogantque in usus humanos omne sacrum rapiente dextra“. „Nemo enim, inquit Cicero de officiis II, 11. iustus esse potest, qui mortem, qui ..... egestatem timet aut qui ea, quæ sunt his contraria, æquitati anteponit. Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur, quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur.“ Sunt enim, ut est apud Ovidium (Metam. I, 140) divitiæ irritamenta malorum. Et Virgilius, „Quid non mortalia pectora cogis,“ inquit, „Auri sacra fames?“ Atque quum omnes Romanorum poetæ, tum Horatius multis sæpe locis conquestus est divitias esse fontem omnium flagitiorum. Imprimisque est apud Horatium unus locus huic, de quo disputamus, maxime cognatus. Sic enim ait in libri tertii carmine vicesimo quarto: „Quid leges sine moribus Vanæ proficiunt, si neque fervidis Pars inclusa caloribus

Mundi nec boreæ finitimum latus Mercatorem abigunt... Magnum pauperies opprobrium iubet Quidvis et facere et pati Virtutisque viam deserit arduæ? Vel nos in Capitolium... Vel nos in mare proximum Gemmas et lapides aurum et inutile, Summi materiem mali, Mittamus, scelerum si bene pœnitet: Eradenda cupidinis Pravi sunt elementa.“ Divitiæ igitur pravæ cupiditatis elementa sunt, hæc summi mali materies; divitiarum cupiditate impelluntur homines, ut prava consilia incant. „Aurum,“ ut est in carmine decimo sexto tertii libri, „per medios ire satellites Et perrumpere amat saxa potentius Ictu fulmineo; concidit auguris Argivi domus ob lucrum Demersa exitio; diffidit urbium Portas vir Macedo et subruit æmulos Reges muneribus; munera navium Sævos illaqueant duces“. Artissime ergo cum ceteris partibus cohæret hæc stropha, qua aurum spernere Romani iubentur; eo enim consilio compositum est tertium hoc carmen, ut ab sceleribus ac flagitiis Romanorum adolescentibus avocarentur.

His igitur condicionibus eadem illa Juno, quæ Romulum ad deorum domicilium admitti passa est, populum Romanum patietur imperii fines proferre ad extrema orbis terrarum loca, ad occidentem solem versus usque ad fretum Gaditanum, „ubi medius liquor,“ ut ait poeta, „secernit Europen ab Afro,“ ad orientem usque ad eum locum, „quo tumidus rigat arva Nilus,“ ad meridiem versus usque ad eam partem, „qua debacchantur ignes,“ ad septemtriones, „qua nebulæ pluviique rores“. Ita tamen, quæ fieri Juno passura est, ad condiciones illas annectuntur, ut ad priorem præter imperii diuturnitatem adiungatur finium propagatio ad occidentem orientemque solem versus, ad alteram ea propagatio, quæ sit futura ad septemtriones atque meridiem. Neque enim mihi, quod omnibus fere interpretibus, placet gravissimam distinguendi notam collocare post versum quadragesimum quartum, sed post duodequingagesimum, ut ab altera illa condicione, quam dixi, novus sententiarum ordo proficiscatur. Id enim videtur postulare ea vis, quæ inest in alterutra condicione. Respondent etiam aperte inter se et illa „Qua medius liquor Secernit Europen ab Afro, Qua tumidus rigat arva Nilus“ et hæc „Qua parte debacchantur ignes, Quo nebulæ pluviique rores“. Namque, ut sæpissime in Horatii carminibus, ita hoc loco, quæ inter sese respondent, eadem metri parte collocata sunt. Neque si, quod modo dixi, probabitur, illud videbitur molestum esse, quod nonnulli vituperandum existimarunt, quod illa stropha, qua aurum spernere Romani iubentur, nulla adhibita particula sit adiuncta.

At vero „fortuna,“ ut ait Cicero, „non solum ipsa cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est“. Quid igitur? si elati fastidio et contumacia Romani illam contumeliam ab avita urbe avertere voluerint, num Troianorum res restituetur eorumque calamitas non erit sempiterna? Hoc etiam quum provideat Juno, impulsa conscientia, quid in se sit virium, magnifica quadam ac sublimi oratione minitatur aptissime partes suas servans monetque, ne nimium pii rebusque fidentes avitæ Troiæ tecta reparent: „Troïæ renascens alite lugubri Fortuna tristi clade iterabitur, Ducente victrices catervas Coniuge me Jovis et sorore. Ter si resurgat murus æneus Auctore Phæbo, ter pereat meis Excisus Argivis, ter uxor Capta virum puerosque ploret.“ Ergo quidquid erit, numquam Troianorum urbs renascetur: iniuriarum pœna et summa est et sempiterna. Orditur Juno ab ea sententia, qua dicit iniuriis ac flagitiis Troianorum urbem esse eversam; concludit orationem, cum omnia restituendæ urbis consilia sese perversuram minitatur: ex quo apparet, summam orationis non magis in eo versari, ut Romanorum fata prædicantur, quam in eo, ut ostendatur, quanta pernicietas atque infamia ex rebus flagitiosis in universum populum redundet.

Iam vero si respexerimus ad ea, quæ de Junonis oratione dicta sunt, illud satis apparere puto, duabus partibus totam orationem contineri, quarum altera iniustitiæ pœnam, altera mercedem iustitiæ complectatur. Alterius partis rursus duplex est ratio; spectat enim et ad Quirinum et ad populum Romanum, idque statim intelligitur ex eo, quod „et graves iras et invisum nepotem“ Marti sese condonaturam Juno pollicetur. Duplici enim illa particula, quæ dicitur copulativa, graves illæ iræ tam-



quam alterum quiddam coniunguntur cum illo odio, quod in Quirinum conceperat; neque enim Quirinus solum Junoni odio fuit, sed omnes Romani, quum a Troianis orti essent. Ad eandem rem accommodata est vox „illum,“ quæ insigui quadam vi usurpatur, postquam antea Juno pollicita est, Romulum sese non iam odio suo persecuturam; invisoque nepoti opponuntur Romani, qui quoniam ab urbe avita longe abesse iubentur, exules vocantur. Atque Quirinus beatam vitam aget ascriptus quietis beatisque deorum ordinibus; Romani, quamquam in exsilio sunt, beati erunt, ut ait poeta, regnando.

Omitto ultimam carminis stropham, qua Musam suam poeta revocat oratque, ne deorum sermones divulget; illud autem addo, hac interpretandi ratione, quam exposui, omnes carminis partes apte et arte inter se esse connexas; neque cuiquam probabitur, quod nuper Gruppius dixit, esse hoc carmen quoddam monstrum, atrocius quam Horatius ipse in sua arte poetica depingeret, „quod humano capiti cervicem equinam iunctam haberet et atrum in piscem desineret“.



# Schulnachrichten.

## I. Unterrichtsplan im Schuljahr 1860—61.

### A. Prima.

Ordinarius: Der Director.

1. Religionslehre. Die Lehre von Gottes Dasein, Wesenheit, Eigenschaften und Dreipersonlichkeit, von der Schöpfung, Erlösung, Heiligung und Vollendung — Wiederholung einiger Theile der Sittenlehre und der Kirchengeschichte. — Die Lehre von der Kirche. — Wöchentlich 2 Stunden. Der Director.
2. Lateinische Sprache. Lectüre: Cic. oratt. IV. V. in Verrem; de offic. lib. I, 5—28; lib. II. Horat. lib. carm. III u. IV; einige Satiren. — Mündliche lateinische Vorträge; Correctur und Kritik der Aufsätze; wöchentlich ein Extemporale. — Wöchentlich 8 Stunden. Oberlehrer Dr. Rudolphi.
3. Griechische Sprache. Wöchentlich ein Extemporale im Anschluß an die Lectüre oder über ein Kapitel der Grammatik. — Gelesen sind: das 4te, 5te und 6te Buch der Xenophont. Kyrovädie, das 18te, 19te, 20te, 21te und 22te Buch der Ilias, des Demosthenes erste olympische Rede, die Antigone des Sophokles. — Wöchentlich 6 Stunden. Der Director.
4. Hebräische Sprache. Wiederholung u. Vervollständigung der Formenlehre; die Syntax. Uebersetzung und Erklärung der von Bosen ausgewählten Stücke. — Wöchentlich 2 Stunden. Oberlehrer Becker.
5. Deutsche Sprache. Die Geschichte der Literatur von den ersten Anfängen bis auf Opitz. — Fortsetzung der Uebungen im Inveniren und Disponiren. — Correctur der deutschen Aufsätze. — Lectüre nach Bone's Lesebuche, Theil II. — Wöchentlich 3 Stunden. Der Director.
6. Französische Sprache. Gelesen wurde Montesquieu, Considerations etc. Chap. IX—XIV, XIX; Recapitulation einiger Kapitel der Grammatik; wöchentlich ein Extemporale. — Wöchentlich 2 Stunden. Rudolphi.
7. Mathematik. Die Stereometrie und Trigonometrie. Repetition der übrigen Theile dieser Disciplin. Censur der schriftlichen Arbeiten. — Wöchentlich 4 Stunden. Gymnasiallehrer Harnischmacher.
8. Geschichte und Geographie. Die Geschichte des Mittelalters; Repetition der neuern Geschichte so wie eines Theils der Römergeschichte. — Geographie nur im Anschluß an die Geschichte. — Wöchentlich 3 Stunden. Der Director.
9. Physik. Die Lehre vom Gleichgewicht und der Bewegung der festen, flüssigen und luftförmigen Körper. Wöchentlich 2 Stunden. Harnischmacher.
10. Gesang. Wöchentlich 2 Stunden. Gesanglehrer Peters.

### B. Obersecunda.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Kirchhoff.

1. Religionslehre (combinirt mit Untersecunda). Die Lehre von der Kirche. Geschichte der Kirche Jesu Christi. — Wöchentlich 2 Stunden. Kirchhoff.
2. Lateinische Sprache. a Lectüre: Virg. Aen. lib. VI; Eclog. I. V; Georg. lib. IV. (combinirt mit Untersecunda). — Wöchentlich 2 Stunden. Der Director.

- Liv.: lib. I, XXI und XXII. Cic. *invektiv*: in *Catil.* I, II, III, IV und *de amicitia*. b. *Grammatik*: Wiederholung und weitere Ausführung der *Casuslehre*; syntaktische *Eigenthümlichkeiten* im Gebrauche der *Adjective* und *Pronomina*; *Lehre vom Satzbau*. — c. *Wöchentlich ein Extemporale*, monatlich ein *Aufsatz*. — *Wöchentlich 8 Stunden*. Kirchhoff.
3. *Griechische Sprache*. a. *Lectüre*: Xen. *Memorab*: ausgewählte Abschnitte aus lib. I, II, III und IV; Herod: ausgewählte Abschnitte aus lib. I u. III; Hom. *Odyss.* lib. XIV, XVI, XVIII, XX, XXI und (zum Theil) XXII. — b. *Grammatik*: Gebrauch des *Artikels* und der *Pronomina*, der *Casus*, der *Modi* und des *Infinitivs*; *Construction* der *Relativsätze*. — c. *Wöchentlich ein Extemporale*, zuweilen statt dessen eine *händliche schriftl. Arbeit*. — *Wöchentlich 6 Stunden*. Kirchhoff.
4. *Hebräische Sprache*. *Anfangsgründe*. Das *regelmäßige Verbum*, die *Lehre vom Pronomen*, die *Bildung des Plurals* und des *Status constructus*. — *Gelesen und erklärt wurden emige Stücke* aus der *Wesen'schen Sammlung*. — *Schriftliche Uebungen*. — *Wöchentlich 2 Stunden*. Becker.
5. *Deutsche Sprache*. a. *Rhetorik*. — b. *Lectüre* ausgewählter *prosaischer* und *poetischer Stücke* nach *Bone*. — c. *Declamationsübungen*. — d. *Monatlich ein Aufsatz*, *Leitung* und *Censur desselben*. — *Wöchentlich 2 Stunden*. Kirchhoff.
